AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 19r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



dire audisti & hodie. Quam cotidie audis tam cotidie non corrigeris. Tu
enim secundum duriciam cordis tui & cor impenitens thesaurizas tibi iram in die ire
& reuelationis iusti iudicii dei qui reddet unicuique secundum opera sua. Non tibi
sic uideatur deus misericors ut non uideatur & iustus. Misericors & miserator do-
minus. Audio & gaudeo. Ita dicis audi & gaude. Adhuc addit. longani-
mis & multum misericors & in extremo & uerax. Gaudes ad uerba superio-
ra ad ultimum treme. Sic misericors & longanimis est ut sit & uerax. Cum tibi
thesaurizauis iram in die ire nonne experieris iustum quem contempsisti benignum.
Non in finem irascetur neque in eternum indignabitur quia & quod uiuimus in flagellis
& correptione mortalitatis de indignatione ipsius est. de pena hoc habemus
primi peccati. Fratres mei non solum cogitare debemus ut futuras minas ipsius euadamus.
sed & presentem iram quia & ista ira ipsius est cuius & se & nos fuisse dicit filios apostolus.
Ait quippe. Fuimus enim & nos aliquando natura filii ire sicut & ceteri. Ergo ex ira ipsius
est quod hic homo peregrinatur quod laborat. Non est ex ira ipsius fratres mei in sudore
uultus tui & labore edes panem tuum & terra spinas & tribulos germinabit tibi.
Auctori nostro dictum est. Aut si est aliud uita nostra si potes conuertere ad aliquam
uoluptatem ubi spinas non sentias. Elige quod uolueris aut auarus aut lu-
xuriosus. Ut duo ista sola dicamus adde & tertium ambitiosus. In honorum cu-
piditate quante spine. In ardore auaricie quante spine. Amores tres. h. In luxuria libi
quantas molestias habent quantas sollicitudines hic in hac uita. Omitto gehen- quante spine.
nas. Vide ne iam ipse tibi gehenna sis. Hoc enim fratres mei de ira ipsius est. Et cum
te conuerteris ut iuste agas non potes nisi laborare in terra & non finitur labor nisi cum
finita fuerit uia. Oportet in uia laborare ut in patria gaudeamus. Ergo pro-
missione sua laborem tuum sudorem tuum molestias tuas & dicit tibi. Non in
finem irascetur neque in eternum indignabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis.
Deo gratias quia hoc uoluit. Non quod merebamur accepimus. Non secundum peccata
nostra fecit nobis. Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam se-
cundum altitudinem celi a terra confirmauit dominus misericordiam suam super timentes eum.
Confirmauit dominus misericordiam suam super timentes eum. Secundum quid. Secundum altitudinem
celi a terra. Quid dixit. Si aliquando potest celum abscedere a protectione terre. ali-
quando potest deus non protegere timentes se. Attende celum. Ubique & undique
protegit terram & nulla pars terre est que non celo protegatur. Peccant homines sub
celo. faciunt omnia mala sub celo tamen protegunt celo. Inde lux ad oculos. in-
de aer. inde spiritus inde pluuia ad terram propter fructus. inde omnis misericordia a celo.
Tolle auxilium celi a terra statim deficiet. Sicut ergo protectio celi permanet super
terram sic protectio domini permanet super timentes eum. Times dominum super te est protectio